

201. Dico III. EX ERRORIBUS prope innumeris, quos Hæresiarcha uterque de omnibus ferme dogmatibus profudit, eos duntaxat breviter recensemus qui liberum arbitrium et gratiam spectant. Eorum 1^{us}. est, *liberum arbitrium* post Adami lapsum esse figmentum et titulum sine re. Ita Luth. in Assertione suorum articulorum ad LEON. X. art. 36. Et Calvin. in Antidoto Tridentini ad Can. 5. Sess. 6.

2^{us}. Vel explicatio potius prioris est, *liberum arbitrium hominis eatenus admitti, quatenus voluntas hominis libera est a coactione, non tamen a necessitate*. Ita Luth. L. de servo arbitrio : et Calv. L. 2. in Pighium etc.

3^{us}. Est, hominem lapsum non posse resistere gratiae, si velit, adeoque necessari absolute sive ad bonum, si gratiam habeat, sive ad malum, si ea caret. Ita Luth. L. de serv. arb. Clarius Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. de gratia sic loquitur : *Voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum: ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari... Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cum suo exemplo docuerit, quam miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit, et possit: quid fieri nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur?*

4^{us}. Est, hominis voluntatem sub gratiae impulsu habere se mere passive instar trunci, stipitis alteriusve inanimis, uti Lutherus in Operation. in Psalmos Ps. 5. in digressione de spe loquitur. Hujus porro erroris sensus non fuit, quod voluntas in opere bono plane iners et otiosa sit, et nullatenus nequidem vitaliter se moveat. Contrarium enim patet ex verbis Lutheri de serv. arb. Necessario dico, non coacte : *h. e. homo, cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et lubenti voluntate facit*. Genuinum hunc etiam Calvinii sensum intelligere licet tum ex L. 2. Inst. c. 5. §. 14., tum ex L. 3. cont. Pighium, maxime vero ex L. 5. cont. eumdem, ubi *hominem, inquit, sic quidem docemus agi Dei gratia, ut simul tamen agat: sic tamen ipsum agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia*.

Eodem sensu errorem intellexerunt Card. OSIUS, BELLARM., STAPILETON, aliique controversiarum scriptores; atque hinc etiam Concilium TRIDENT. Lutheranorum et Calvinistarum errorem referens ac dammans sic habet : *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abdicere potest etc. Ubi Patres Tridentini hominem se non mere passive habere probant ex eo, quia libere agit, et inspirationem ita recipit, ut illam abdicere possit. Idem repetitur in Can. 4. Sess. 6.*

5^{us}. Est, nullam de facto dari gratiam sufficientem, quæ simul non sit efficax. De hoc errore ita Lutherus L. de serv. arb. : *Humana voluntas in medio posita est ceu jumentum. Si insederit Satan, vult et vadit, quo vult Satan: si insederit Deus, vult et vadit, quo vult Deus. Et Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. Medium, quem Sophiste imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia. Item alias docet, motum Spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat.*

Denique 6^{us}, est, præcepta Dei homini esse impossibilia, nec posse ab ho-

mine per gratiam impleri. Ita Lutherus in Resp. ad Dialogum Sylvestri : *Pessime facis, quod negas Salvatorem impossibilia jussisse: plus quam pessime facis, quod hoc falsitatem aedes appellare: non possumus in hac vita mandata Dei implere. Calvinus etiam L. 2. Inst. c. 7. §. 5. Quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul et confrandendum.... etc.*

ARTICULUS IV.

QUE SIT BAIANISMUS HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

202. Nota. Michael Baius sive de Bay, natione Belga, natus an. 1513. Melini in territorio Atheni, Presbyter secularis, laurea doctorali an. 1530. in Facultate sacra Lovaniensi donatus, anno altero eadem in Academia regius sacrarum litterarum Professor institutus fuit; vir ingenii nimium praefidentis et scientie sue estimator immodicus, id quod Ruardo Tappero Baii olim magistro ansam dicendi dedit, se ab hoc juvene nonnisi schisma expectare.

Non vanum fuisse præsagium eventus docuit; inita enim cum Joanne Hesselio paris conditionis et animi Professore Lovaniensi amicitia, a suscepto mox docendi munere nova disseminare cœpit : quod studium nec ipse nec ejus nuper laudatus socius Tridenti dedidicerunt, quorsum ineunte anno 1563. ad ultimas tres Concilii sessiones Commendoni consilio delegati a Rege Catholico fuerunt, ut legatorum solertia ibidem conciliarentur. Rejectis tamen postremo erroribus, diem extremum obiit an. 1589.

203. Dico I. Exordium Baianismi in an. 1551. incidit, quo Professor publicus novas et erroneas doctrinas tum voce, tum scriptis proferre cœpit, Ruardo Tappero sub an. 1552. ex Conc. Trid. reduce strenue cum Rastheinio, Richovio et Cunero Theologis Lovaniensibus illi obsistentibus. Baiana doctrinae nihilominus adhaerentibus multis, ac e sua etiam sacra familia quibusdam duo Fratrum Minorum Guardiani selectos inde octodecim articulos ad Parisiensem Facultatem judicii ferendi causa an. 1560. miserunt, quæ eodem adhuc anno, 27. Junii, lata censura illos confixit, et erroris aut hereseos notavit. Quo tamen nihil permotus Baius non modo perrexit ruere, quæ cœperat, sed partes etiam suas multum auxerat; illis nempe Doctoribus, quos nominavi, aut fato functis aut e scholis ad Episcopales sedes evectis, jam ipse antiquissimus Academiæ relictus et auctoritate apud juniores prævalens.

Unde partibus hinc inde non sine animorum astu contendentibus an. 1561. Pius IV. P. M. silentium imposuit. Id vero cum minime teneret Baius cum asseclis, redux a Tridentino varia in lucem opera edens; novis dissidiis recrudescentibus, censuras etiam suas contra Joannis Hesselii et Michaelis Baii propositiones plures strinxerunt an. 1566. Academiæ Complutensis, Salmanticensis et varie in Italia, donec tandem de pluribus articulis Romanæ Sedi denuntialis inde judicium veniret. Itaque

Progressus et exitus causæ Baianæ cœpit an. 1567., quo Pius V. P. M. Calend.

Octobr. Bullam articulos doctrinæ Baiæ nomine Baii tacito, sub variis censuris damnantem, quæ incipit : *Ex omnibus afflictionibus*, emisit. Hanc jussu Cardin. Granvellani tum Romæ commorantis, Maximilianus Morillonius, Præpositus Ariensis et illius Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius Generalis, eod. an. die 23. Decembbris, prælegit Facultati Lovaniensi : Doctoribus omnibus obsequium pollicitis, unus Baius reluctans a Morillonio frustra cum ad saniora reducere conato non quidem tum fuit ursus; quod hic fuerit monitus omnia cum suavitate ac prudentia agere : ille vero altero mox anno apologiam suarum opinionum ad Pontificem mittendam adornarit.

Expensis his litteris apologeticis, Pontifex rursus Baium ad damnatos articulos ejurandos cohortatus Brevi ad eumdem dato an. 1569. confirmans priora scripsit : *Quæ super hoc ipso jam decreveramus, eadem de integro decernenda statuendaque esse judicamus*. Hic tandem post tergiversationes nonnullas cessisse Baium et ejuspropositiones omnes damnatas, notant Acta Facultatis Lovaniensis, idemque an. 1570., quo Nationalis Belgii Synodus *Pianam Bullam* solemniter acceptavit, et nova in scholis Lovaniensibus promulgatio facta est, una cum reliquis Doctoribus confirmasse; quamquam id alii negenti, refellantque tum ex historia Baianismi brevi a Decano Capituli Mechliniensis edita, tum ex ipsis Facultatis Actis ad an. 1571., ubi narratur *Baium* aliquando in Facultate auditum esse, cum diceret : *Quod pro illis articulis deberemus forsitan mori potius, quam eos damnare*. Certe eventus probavit, minus sinceram saltem aut inconstantem fuisse eam obedientiam, cum duodecimo post illam Bullam anno res eodem, si non pejore, loco fuerit; unde

GREGOR. XIII. Pii successor quarto Calend. Febr. an. 1579. nova Constitutione, quæ incipit : *Provisionis nostræ*, edita, præcedente confirmavit, ac Franciscum Toletum suum e Soc. Jesu Theologum misit, qui coram Baium ad revocanda perperam dicta omni conatu pertraheret. Is vero an. 1580. jussit Bullam in frequentissimo totius Academie conuento recitari : tum ad Baium conversus petiit ex eo, an agnosceret in Bulla multos ipsius articulos dammari, et quidem in sensu ab eo intento? Affirmante Baio rogavit, an cosdem aliosque in Bulla contentos et recitatos damnare? ille, *damno*, inquit, secundum Bullæ ipsius intentionem et sicut Bulla damnat; quod ipsum postea solemni ad Pontificem Max. scripto confirmavit. Eadem vox fuit Theologiae Doctorum, Licentiatorum, Baccalaureorum et Studiosorum Lovaniensium, qui uno ore conclamabant : *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur*.

Porro ne malum aliquando reviviseret, Joannes Bonhomi, Vercellensis Episcopus et per utramque Germaniam Nuntius Apostolicus, Facultatem Lovaniensem rogavit et ursit, ut doctrinam, quam posteros suos sequi oportet, *Baii* damnatis articulis opponeret. Explevit vota Facultas, et formulam doctrinæ deinceps tenuendæ concepit illa quidem, et tum Nuntio, tum per eum *Duacenæ Facultati* communicavit, suppressam tamen eamdem fuisse colligere licet tum ex Steyartio Lovan. Theologo in Theol. Morali, tum ex causa, quæ Lessium inter et Lovan. Facultatem, Baio etiamnum vivente, orta est, de qua forsan alibi.

204. Dico II. Systema errorum *Baii* a quibusdam ad tria generatim capita, nempe quæ spectant statum vel naturæ innocentis, vel lapsæ, vel reparatæ.

revocatur : ab aliis paulo distinctius ad octo capita speciatim refertur; quorum singula breviter recensebimus.

I. Est circa *gratiam angelorum et primi hominis*. De hac, cum in L. de prima hominis justitia statuisset, nullam creaturam rationalem creari posse sine ordinatione ad intuitivam Dei visionem, asseruit 1^a. *gratiam sanctificantem* annexaque illi dona, fuisse debita naturæ innocentis et naturalia; atque hinc non esse stricte gratuita et supernaturalia; quo spectant septem articuli in Bulla damnati, nempe 9. 21. 23. 24. 26. 53. 79. 2^a. Simili ratione *immunitatem ab omni malo homini innocentis debitam et naturalem prædicavit* iisdem et articulo 78.

II. Est circa *merita operum*. Et quidem in *statu innocentis* merita omnia ponebat mere humana et naturalia, adeo ut nec merita, nec merces primi hominis et angelorum fuerint, aut essent gratia : ut enuntiant artic. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. In *statu autem quocumque* asserebat, quodlibet opus bonum ex natura sua esse meritorum vitae æternæ; sic enuntiant propp. 2. 4. 11. 12. 13. 15. 17. Atque hinc negabat aliquid meritorii operi accedere ex adoptione aut gratia ; ut patet ex propp. 17. 18. 19. 62.

III. Est circa *liberum arbitrium et ejus vires*. Quoniam in *Baii* sententia primus homo peccando omnibus gratiæ donis, quæ secundum ipsum naturalia adjumenta ad vitandum peccatum et bonum operandum erant, prorsus privabatur; atque hinc cuiuslibet boni incapax et solius capax iniuriantis effectus erat; consequenter statuit 1^a. Liberum arbitrium hominis lapsi sine gratia nonnisi ad peccandum valere; ita loquitur in propp. 27. 28. 29. 30. 2^a. Quidquid ex homine gratia destituto procedit, et ipsam etiam infidelitatem negativam, esse peccatum; sic habetur in artic. 22. 25. 68. 3^a. Non dari aliquem actum liberi arbitrii moraliter tantum bonum; ut constat ex artic. 34. 36. 37. 63. 4^a. Statuit liberum arbitrium et libertatem in immunitate a coactione, non autem exclusione necessitatis; ita legitur in propp. 39. 41. 66.

IV. Est circa *peccatum personale*. De hoc ex jactis circa liberum arbitrium fundamentis docet 1^a. Ad peccatum non requiri libertatem a necessitate; ita in artic. 46. et 67. 2^a. Peccatorem in omnibus actionibus suis peccare, quod est argumentum articulorum 35. et 40.; ubi tamen notandum, nomine peccatoris non intelligi a *Baio* præcise eum, qui gratia sanctificante caret, sed eum, qui nondum elicuit charitatis actum, quo deponeret affectum peccati. 3^a. Concupiscentiæ indeliberatos quoque motus in non renatis, vel etiam in renatis, sed postea in peccatum mortale lapsis verum esse ac proprie dictum peccatum, quod ipsis imputatur sine respectu etiam ad voluntatem Adami, a qua originem sumpsit concupiscentia; quia in sententia *Baii* hæc concupiscentia illis voluntaria est voluntate habituali, et habitualiter dominatur, quatenus non habent contrariam voluntatem : secundum eumdem vero concupiscentiæ indeliberati motus sunt veræ legis : *Non concupisces, inobedientie*.

Excipit tamen justos, quibus contra concupiscentiæ motus certantibus et non consentientibus non imputatur in peccatum, utpote apud quos concupiscentia non dominatur actu vel habitu. Ratio et pars asserti 1^a. desumitur ex propp. 48. 49. et 74. 2^a. ex propp. 50. 51. et 76. 3^a. sive exceptio ex prop. 73. 4^a. denique statuit nullum esse peccatum ex natura sua veniale;

sed omne mereri pœnam eternam; quæ verba sunt propos. 20^æ, et partem etiam 2^æ. constituunt.

V. Est circa peccatum originale. Hujus naturam cum L. de pecc. orig. statuisse in concupiscentia seu inclinatione ad bonum sensibile contra rationis præscriptum: transfusionem autem et communicationem nihil habere singulare ab aliorum peccatorum communicatione docuisset; 1^o. Ponit hoc principium, *sceleris nempe cuiuslibet naturam esse, ut ex sese et propria vi ac independenter a pacto vel ordinatione divina auctorem suum ipsiusque posteros eo modo inquinare et inficere possit, quo infecta prima transgressio;* hujus compendium sunt propp. 52 et 53. 2^o. Peccatum originale in posteris peccatum esse sine relatione ad voluntatem Adami, ut ait prop. 47. Quia vero concupiscentia est peccatum originale, concupiscentia autem voluntate habituali voluntaria est, nisi quis habeat voluntatem contrariam; hinc docet 3^o. Peccatum originale habitualiter dominari parvulo, quia non gerit contrarium voluntatis arbitrium, quæ phrasis est prop. 48. Ex eodem capite addit 4^o. Fieri, ut parvulus non renatus Deum actualiter odio habeat, blasphemet, ejusque legi repugnet, in prop. 49. 5^o. Denique afflictiones et mors tum justorum omnium, tum B. Virginis dicuntur ultiones peccati vel originalis vel actualis in prop. 72. et 73.

VI. Est circa charitatem et impletionem legis. De prima docet 1^o. Non dari amorem bonum nisi charitatem theologicam; ita asserit prop. 34. 2^o. Non esse alias amores nisi vel charitatem theologicam vel cupiditatem vitiosam; ita prop. 38. 3^o. Actum charitatis etiam intensive perfectæ, sed tamen non dominantis, h. e. affectum cupiditatis habitualis non expellentis, posse stare cum peccato et reatu æternæ damnationis ac sine remissione peccatorum; ut liquet ex prop. 31. 32. 33. 70. 71.

De altera docet 1^o. Deum præcepisse homini impossibilia; habefur in prop. 54. 2^o. Legem non posse impleri nisi per charitatis theologicæ actum; ita legitur in prop. 16. et 61. 3^o. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, eum non facere præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* quæ sunt verba prop. 76.

VII. Est circa justificationem et Sacramentorum effectum. De prima docet 1^o. Hominem formaliter fieri justum bonis operibus et legis obedientia, non autem gratia aliqua animæ infusa; ut loquuntur propp. 42. et 69. 2^o. Hinc etiam rejicit distinctionem tum justitiae, tum vivificationis, quæ per gratiam habetur, prop. 54. et 64. 3^o. Tamen sicut de charitate dixerat, sic justificationem veram haberi posse sine remissione peccatorum aut incremento virtutum, prop. 43 et 44.

De altera vero, quia 1^o. tantum distinguit in peccato, actum scilicet et reatum pœnae, omittitque reatum culpæ, ut liquet ex prop. 56. Hinc 2^o. in Sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ docet hominem non vivificari ministerio Sacerdotis, nec reatum culpæ dimitti, sed pœnae reatum duntaxat tolli, patet ex prop. 57. et 58.

VIII. Est circa solutionem pœnæ temporalis. Hanc negat fieri sive per elemosinas et pietatis opera juxta prop. 59., sive per satisfactiones laboriosas justorum juxta prop. 77., sive per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas juxta prop. 60.; sed asserit proprie non nisi meritis Christi et Sanguinis divini pretio adscribendas juxta prop. 10. et alias modo indicatas.

203. Dico III. Fundamentum errorum omnium statuitur a Tournely in illo axiomate, ad quod prop. 38. spectat: *Non sunt nisi duo amores;* ant charitas virtus theologica, quæ Deum diligit tanquam finem ultimum, quæque primo precipitur Decalogi precepto; aut vitiosa cupiditas, quæ creaturæ inhæret tanquam fini ultimo absque ullo ad Deum respectu, atque tota lege prohibetur.

Cæterum universim de Baiano systemate enuntiari non absque manifesta ratione potest, *Pelagianismi*, nec non *Lutheranismi* et *Calvinismi* absurdâ dogmata, licet subinde emollita, in omni ea congerie alternare, et adeo manifeste a Tridentino damnatos, aut aliunde apertos errores ibidem occurere, ut, nisi plurimam partem in ipsis *Baii* libris clare expressi legerentur, vix credi posse videretur, eos traditos fuisse a viro catholicæ professionis, et eō, qui ipse Concilio Trident. interfuit.

Libri autem a *Baii* editi numerantur, duo de meritis operum: unus de prima hominum justitia: duo de virtutibus impiorum: unus de libero hominis arbitrio: tres de charitate, justitia et justificatione: unus de peccato originis: unus de sacrificio; cum Tractatibus quatuor de Sacramentis in genere, de forma baptismi, de indulgentiis, de oratione pro defunctis.

206. Dico IV. De sententia in Baianismum per geminam Bullam pontificiam lata, sive de ipsarum Bullarum argumento et forma, quædam observanda veniunt. Et quidem de propositionibus damnatis, 1^o. Eas continuata serie et sine characteribus numeralibus in Bullis editis fuisse lectas; unde alii propp. 76., alii 80., plerique 79. recensent. 2^o. Nonnullas propositiones continere plures partes, de quibus dubitari potest, an illæ quoad partes omnes, an quoad unam duntaxat, et quamnam, damnantur; cuius exempla afferunt in 35. et 74. propositione. 3^o. Aliquas propositiones non agnitas fuisse tanquam suas a *Baii*, nempe 35. et 40.: plures vero non reperiri in ejus operibus, nempe 53. 64. 65. 67. 68. 73. 74. 78. et 79. Additæ tamen sunt et cum aliis Baianis damnatae; tum quia a Baianæ factionis hominibus, præsertim *Hesselio*, tunc temporis docebantur: tum quia vel verbo in Scholarum disputationibus, vel in privatis discipulorum manuscriptis fuerunt a *Baii* traditæ. 4^o. Quasdam Baianas continere non solum doctrinam, sed etiam contrariae censuram sententiae, qualis v. g. est hæc 28. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum;* plures vero esse, quæ solam doctrinam contineant, qualis v. g. est illa 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam:*

De ipsa damnatione propositionum, 1^o. Propositionum censuras et notas numerari in Bulla sex, nempe hereticas, erroneous, suspectas, scandalosas, temerarias, in piis aures offendentes, de quarum legitimò sensu consule Tract. de Fide n. 225. et seqq. 2^o. Damnationem propositionum, respectu notarum singulis convenientium, fuisse indeterminatam et generalem, et, ut aiunt, in globo. Non enim omnes notæ in singulas assertiones cadunt, sed cum proportione accommoda; quare additur respective. Hac ratione etiam articuli *Wicelli* et *Hussi* a Concilio CONSTANTIENSIS Sess. 8. et 15., item articuli *Lutheri* a LEONE X., et alii ab aliis Pontificibus damnati fuerunt: et satis quidem clare, quamvis non omni cum claritate et evidentiâ, venenum propositionum etiam singularum ostendi solet. Que porro nota

unicuique propositioni *Baii* determinate conveniat, declarat Ripalda Tom. 3. de Ente supernaturali. 3º Nullam contentarum in Bulla propositionum esse, quae excipiatur ab aliqua censura et nota ex sex supra dictis; cum illa post omnes propositos articulos a Pontifice immediate subjuncta relatio: *Quas quidem sententias etc.*, et illa alia universalis: *Quaecumque super his verbo scriptoque emissas*; omnes universim propositiones prius in Bulla memoratas sine exceptione complectatur.

QUERES I. *An Baianæ propositiones omnes notentur propter doctrinam, an aliquæ propter solam contrariæ sententiæ censuram?*

207. Nota. Pius V. post relatas in sua Bulla propositiones *Baii*, continuo haec subjicit: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas etc. damnamus, circumscribimus et abolemus*. Occasione hujus interjectionis: *quanquam nonnullæ etc.* non tantum Baiani, sed et alii Auctores celebres existimant, si non omnes, saltem alias propositiones censuram contrariæ sententiæ continent, esse damnatas duntaxat ratione *modi*, seu propter hanc censuram, non autem ratione *dicti*, seu propter doctrinam. Alii et contra, quamvis concedant propositiones quasdam in aliquo sensu sustineri posse, negant tamen eas in *sensu proprio verborum* ab assertoribus intento probables esse, et hinc quoad doctrinam fuisse damnatas asserunt. Cum his

208. R. Probabilius videtur omnes propositiones notatas esse *propter doctrinam*.

Ratio est, tum quia Pontifex damnando *sententias* intellexit doctrinam; siquidem et *sententiarum* nomine communiter ipsa propositionis doctrina venit, et alias pontificia damnatio confunderetur, si de aliis propositionibus doctrinam, de aliis solam censuram excepta doctrina rejectam interpretari licaret: tum quia Pontifex, licet insinuaverit nonnullas propositiones *aliquo pacto* sustineri posse, tamen eas non damnat propter assertoris audaciam ac censuram, sed quia in *rigore et proprio verborum sensu* ab assertoribus intento erroneas etc. censem: tum quia nonnullæ etiam propositiones earum, quæ *aliquo pacto* sustineri possunt, nullam continent censuram, quales sunt propositiones 27. 55. etc.; ergo.

Conf. 1. *Censuræ illæ* propositionibus a *Baio* et ejus sociis appictæ, vel sunt duntaxat prohibite a Pontifice potestate *directive morum*, tanquam contrariæ charitati et paci fidelium; vel potestate *definitiva veræ et sanæ doctrinæ*, tanquam contrariæ integritati religionis et fidei. Si 1^{um}; ergo non potuissent a Pontifice damnari tanquam dignæ censura theologica et falsæ; sed solum fuisset prohibita censuratio, ut accidit jam sæpius, ac maxime in causa de auxiliis gratiæ Dominicanos inter et Jesuitas agitata. Si 2^{um}; ergo hoc ipso falsitas etiam propositionis Baianæ et non tantum censuræ emergit; cum damnatio sit declaratio et pronuntiatio falsitatis sententiæ, ex qua sequitur, nos non solum exterius, sed etiam interius debere propositioni damnatae dissentire, ut patet in propositionibus Jansenii damnatis; cum e contrario sola prohibitio non sit declaratio falsitatis sententiæ, sed interdum

obligationis cohibendi illam propter vitanda mala paci et bono fidelium nocivæ, que vel ex sententia, vel censura nascentur. Ex quo ruit primum fundamentum adverse partis: videlicet quod moris sit in Ecclesia infames notas, a Doctoribus receptis opinionibus subinde inflictas, interdicere.

Conf. 2. Nullus est ex omnibus *Baii* articulis, cuius vitium et falsitas, etiam abstractendo a *notis*, deprehendi aut probari non possit; uti fecerunt Doctores Lovanienses ad postulationem Morillonii, Universitas Duacensis in Declar. edita an. 1649. sub hoc titulo: *Veritas et æquitas censuræ Pii V.*, in qua doctrina singularium propositionum per antitheses Estii et Sylvii refelluntur; et qui ante hanc declarationem libros duos adversus articulos olim a Pio V. et GREG. XIII. et novissime ab URBANO VIII. damnatos edidit Joann. Martinez de Ripalda S. J. sub nomine appendicis ad disputationes de Ente supernaturali, et Tomi tertii. Unde et vanitas fundamenti secundi cognosci potest; scilicet quod plures *Baii* propositiones sint probabiles et inter Catholicos Doctores receptae opiniones.

QUERES II. *Quid de famoso commate in Bulla Piana sit tenendum?*

209. Nota I. Verba Bullæ quoad interpunctionem ab aliis sic referuntur: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas etc. damnamus*. In aliis vero exemplaribus sic leguntur: *quanquam earum nonnullæ aliquo pacto in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent*. Postremam lectionem non esse germanam patet tum ex repugnantia reliquorum exemplarum omnium, tum ex evidenti direptione litis, cui sub hac formula ne probabilis quidem locus esse potuerat.

Lis enim erat: an in lectione priore comma (,) subjiciendum sit vocibus *sustineri possent*, adeo ut sensus sit, sententias in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento damnari tanquam hæreticas, erroneas etc., quamvis aliquo pacto, seu alio in sensu sustineri possent; an vero subjiciendum sit voci *intento*, ut hic factum videmus, adeo ut sensus sit, damnari has propositiones, licet in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri queant, h. e. veræ sint?

Porro quemadmodum postrema haec lectio et signorum interpositio *Baio* et *Baianis* eatenus favet, quatenus eorum opiniones nihil probabilitatis per damnationem Pianam amitterent; sic eamdem *Baius* statim usurpavit contra Morillonium; ideo se Bullæ subscribere non posse causatus, quod Pontifex diceret sententias has *aliquo pacto sustineri posse in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento*.

Quamvis vero postea de pontificie damnationis sensu melius a Toledo edocitus subscriberet propositionum damnationi, eumdem tamen cavillum acris repetierunt Baiani, et variato commatis loco adulteratam clamaverunt Bullam, ut a Jacobo Jansonio Doctore Lovan. *Baii* primum discipulo, dein collega an. 1618. in scholis publicis factum legimus. Id ipsum urserunt paulo clamosius quidam Lovanienses Doctores, ubi *liber Jansenii*, eo quod plures propositiones a Pio V. et GREG. XIII. damnatas contineret, ab URBANO VIII. fuit prohibitus; atque hanc ob rationem Joannem Sinnichium Lovaniensem

Romam miserunt, URBANI Bullam recipere nolentes et eam subreptitiam praetextentes. Neque a tricis in hoc commate faciendis etiam hoc seculo desisterunt quidam, ut ex historia controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis Auctore Eleutherio seu Livino de Mayer patet.

210. Nota II. Styli Romani esse, ut duo singularum Pontificiarum Bullarum manuscripta Romæ fiant: alterum autographum interpunktis et comatibus distinctum, quod in Archiviis S. Officii deponitur: alterum continua serie, nullo commate adjecto, scriptum, quod in Regesto Summi Pontificis notatur, ex quo et secundum fidem Regesti, ac proinde sine punctis, describuntur exemplaria Bullarum, quæ conceduntur aut ad Provincias mittuntur, nisi aliter expresse mandetur. Porro Bullæ Pianæ quinque extant exemplaria celebriora.

Primum sine punctis juxta morem proxime memoratum habuit Morillonius an. 1567. Secundum commissum est an. 1580. Toleti, ob item de commate a Baio jam motam interpunktis distinctum. Neutrum tamen transumi aut exscribi a Lovaniensibus permiserunt vel Morillonius vel Toletus. Tertium ad interventionem Toleti GREGORIUS XIII. concessit Baio eodem adhuc an. 1580; sed quod nullo commate distinctum fuisse, patet ex ejus editione per Facultatem Lovaniensem curata, et confessione Baianorum, præcipue Macarii Havermanns. Quartum fuit Roma an. 1642. cum interunctionibus excusum, in quo comma post verba *sustineri possent*, omittitur. Sed error hic ex incuria typographi ortus ille est, de quo loquitur URBANUS VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Mechliniensem, et hinc illius jussu restitutum fuit comma in editione Coloniensi. Quintum est Roma an. 1644. eodem URBANO jubente editum, et a sacra Congregatione Sinnichio traditum et consignatum cum mandato Apostolico, ut huic exemplari fides adhiberetur. In hoc legitur comma post voces *sustineri possent*. Ex his

211. Dico I. Ipso facto famosum *comma* in Bulla Piana additum fuit post voces *sustineri possent*; adeoque nulla *Baii* propositio in proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri potest.

Prob. I. Ex exemplari Toleti, quod teste Ripalda Romæ impressum habet genuinum comma, dividens verba illa Bullæ: *aliquo pacto sustineri possent* a sequentibus: *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento*.

II. Exemplari Romano jussu URBANI an. 1644. impresso, et authenticè consignato, ubi idem commati locus datus perspicitur.

III. Ex ipso Pii V. Autographo in Archiviis S. Officii custodito, in quo idem comma et eodem loco vidisse se an. 1644. die 2. Octobr. testatur Cardinalis de Lugo.

Nec obstat 1º. Quod Granvellanus in' epist. die 13. Nov. 1567. ad Morillonum scripta dicat, Baianarum propositionum alias, tametsi *in rigore aliquo sensu exponi possint*, ut excusentur, pios tamen lectores offendere.

R. Evidem possunt aliquæ propositiones in rigore sensu aliquo exponi, ut excusentur, qualis est v. g. illa ss. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: si enim quispiam hanc addat expositionem, id est, cum peccato originis; fatebuntur omnes, propositionem sic expositam habere sensum Catholicum. Sicut vero hunc sensum damnare

nunquam PONTIFEX intendit, sic etiam sensus is Baii vel assertoris Baiani non fuit. Unde patet, qua ratione dixerit Granvellanus alias propositiones *in rigore sensu aliquo exponi posse*, ut excusentur; nempe sensu *peregrino* et *alieno*, non vero ab assertoribus intento.

Nec obstat 2º. Quod Morillonius in ep. die 20. Jun. an. 1569. ad Granvelianum data narret, quod *Baio* tergiversante, causanteque in Diplomate Pontificio scriptum esse, nonnullas propositiones defendi posse in proprio verborum sensu, ipse nihil reposuerit; unde inferunt *silentio suo* assensisse exceptioni Morillonium.

R. Silentium hoc alii melius tribuunt Morillonii prudentiae, ob timorem schismatis, et, ne exulceratus *Baii* animus irritaretur acerbus, ad tempus connivensis; præsertim cum ex Bullæ exemplari sibi transmisso, utpote nullis interunctionibus distincto, *Baium* manifeste convincere non posset. Unde satis habuit Morillonius, adigere *Baium* ad ejurandas propositiones *juxta decretum, censuram et mentem Sanctitatis suæ*; quod et a *Baio* præstatum Morillonius ibidem scribit. Ceterum hæc objecta vim non habent post damnationem URBANI et sensum Bullæ Pianæ clare distinctum.

212. Dico II. Jure etiam famosum *comma* post memoratas voces in Bulla Piana additum fuit.

Prob. I. Quia illa verba: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, per illa adversativa *aliquo pacto* opponi debent sequentibus: *in rigore et proprio verborum sensu*; cum alia non sint, quibus opponantur.

II. Quia si in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento aliquæ sententiae *Baii* sustineri possent, immerito Pontifex eas damnasset; cum nulla fere sit Catholica sententia, quæ in sensu improprio et ab assertoribus extorto damnabilis non sit.

III. Quia hac expositione admissa nulla *Baii* propositio foret, quam non liceret impune defendere; cum nulla in Bulla definiatur determinate, quæ in rigore et proprio verborum sensu sustineri non possit. Ad quid ergo et damnatio Pontifícia, et particula exceptiva *nonnullæ*? Hinc vero constat vanitas illius asserti, quod ob duplēm interunctionem, alteram post vocem *possent*, alteram post vocem *intento* in Bulla additam, adhuc sensus maneat obscurus.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SIT JANSENISMU HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

213. Nota I. Causa Baiana finita videri poterat rescriptis Roma Pontificium sententis; sed error finitus non fuit, multis adhuc in Belgio et Gallia *Baii* discipulis aut sectatoribus relictis. Hos inter fuit Cornelius Jansenius, alius ab ejusdem etiam pronominis Jansenio, Gandavensi Episcopo, Hulstii in Flandria nato, et Commentarii in concordiam ac totam historiam Evangelicam auctore optime Catholicó. Is natione Batavus, natus est anno 1583. loco exiguo, Accoy dicto, in territorio Leerdamensi. Ultrajecti humanioribus litteris exultus, Lovani Philosophae ac Theologiae operam dedit, magistro usus Jacobo Jansonio. An. 1604. Parisios abiens, exceptus est a Joanne du